

servare, omnes habitantes ibidem in equitate et equalitate tractare. Dantes et concedentes tibi pro tuis tueque familie expensis annuatim nomine salarii ipsius vicariatus decem millia florenorum auri percipiendis et habendis de avere dicti comunis, omnibus et singulis hominibus et personis civitatis et comitatus et districtus predictorum tenore presentium districte precipiendo mandantes, quatenus tibi tamquam vicario nostro intendere debeant et in omnibus obedire. Nuli^a ergo hominum liceat hanc nostre constitutionis gratiam infringere vel ei ausu temerario contraire, quod qui fecerit, gravem indignationem nostram se noverit incursum. Item revocabimus, annullabimus et irritabimus et exnunc de nostre plenitudine potestatis revocamus, annullamus et irritamus omnia et singula privilegia, gratias et libertates, si quas fecimus seu concessimus per nos vel alium vices nostras gerentem alicui vel aliquibus comunibus, universitatibus, nobilibus aut quibuscumque singularibus personis, per quas concessionem seu privilegia iuri seu iurisdictioni dicti Azonis Vicecomitis seu comunis Mediolani in aliquo derogetur ab eo tempore citra, quo in civitate Pisana ordinavimus et creavimus ipsum Azonem in vicarium civitatis Mediolani comitatus et districtus¹. Item firmabimus et approbabimus et ratificabimus et exnunc firmamus, ratificamus, approbamus, innovamus et de novo facimus omnia et singula capitula pactorum habitorum inter nos et dictum Azonem de Vicecomitibus tempore, quo eramus iuxta dictam civitatem Mediolani², hiis exceptis que iam completa sunt et mandata executioni erga nos per dictum Azonem. Quorum capitulorum tenor talis est: Primo quod nos debemus et debemus omnia privilegia, iura, libertates et gratias factas quibuscumque vicariis, capitaneis, officialibus, universitatibus, comitatibus seu singularibus^b personis, qui vel que in hoc presenti facto ei Azoni fautores extiterant, renovare in eo tenore, sicut prius concessa sunt, revocando omnes processus, sententias et pronuntiationes, si qui vel que facti seu facte sunt contra premissos, exnunc de nostri plenitudine potestatis decernentes eos vel eas penitus irritos et irritas atque cassos et cassas. Secundo quod post recessum nostrum, quem fecimus a civitate et comitatu Mediolani, venire non debemus nec gentes armatas mittere

a) So Or. b) 'singularibꝫ' Or.

1) 1329 Jan. 15. 2) 1327 Juli.